



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Oratio F. Francisci Orantii Hispani, Habita in sacra  
œcumenica Synodo Tridentina, die celeberrimo  
Sanctorum omnium, anno 1562**

**Orantes, Francisco de**

**Venetiis, 1563**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31441**



~~724/3~~

J 372.



ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN

ORATIO

F. FRANCISCI ORANTII  
HISPANI,

Habita in sacra œcumenica  
Synodo Tridentina,  
*die celeberrimo Sanctorum omnium,*  
anno 1562.



VENETIIS, MDLXIII.

EX OFFICINA IORDANI ZILETI.

ORATIO

IN ANTIQVARIIS

et in factis ecclesiasticis  
Synodo Tridentina

de celebratione Sacramentorum

anno 1562



MDLXII

EX OFFICINA JOHANNIS DE WITTE

MO, 2

AMPLISS. AC REVER. D.  
D. CHRISTOPHORO VALTODANO,  
Episc. Palentino, Comiti Perniæ,  
& S. generalis Inquisitionis in tota Hispania  
senatori clarissimo, & uero patrono suo,  
F. Franciscus Orantius S.P.D.



*V*x orationem finieram apud patres sanctiss. synodi, Reuerend. Antistes, & ecce tui recordatio, quæ unicè ualet ad dolores nostros undiq; profectos mitigandum, urgere me cœpit, ne de ea re te diu cessassem. immo uerò ius ipsum, summa prudentia stabilitum, plagiarium legem mihi obiektabat: ni quoquo pacto minusculum hoc, quod tibi uero domino debebatur, uel primo ipso die amplitudini tuæ obtulisssem. quanuis parte altera dolebam uehementer, tum quòd præter nescio quas lituras, nihil tersum, & à mendis liberum, atq; absolutum, penès me asseruaueram; tum uel maximè id sanè mihi summè molestiam augebat, quòd graue uidebatur has offerre primitias tam paruas, & exiguas, atq; oculis istis prorsus indignas, cui ego multo plura, & (ni philautia decipior) meliora satis, iam iam pararem nuncupare. nam neq; auctoritate quisquam apud me ualere plus potest, aut debet, neq; uoluntate. Quid plura? nullo labore uicit me benignitas illa tua, qua soles minutissima quæque, & nihili prorsus magno æstimare. de qua non ego solus, ne ad gratiam locutus uidear, sed quotquot istud immortalitate dignum ingenium norunt, dum perhonorifica nominis tui mentio illis habetur, & magnificè sentiunt, & mirabiliter loquuntur. sunt siquidem Tridenti innumeri patres, qui uirtutem plus quàm humanam, & mirabilem tuam prudentiam experti, participem te magis, & suorum laborum spectatorem, quàm auditorem, malent. O quàm illis probaretur commiseratio illa tua frequens, & crebra in hæc iniquissima tempora, in quibus nihil minus, quàm religio, & iustitia regnant. ò quàm opportuna ipsis haberetur ista presentia, si tibi per eas, quas sustines, uehementissimas occupationes liceret adesse? libentissimè (sat ego scio) penè cœlestem prudentiam tuam, pastoralem curam, & flammam, quam ardentis-

A ij

simam pro matre, & sponsa Ecclesia pectore uerè pio, & sincerè Christiano gestas semper, & mirarentur, & uenerarentur. Ut nihil ego omnino attingam de mansuetudine, & tui animi candore, & beneuolentia erga eos, qui intra iustum, & rectum sese studiosè continent: ut nihil etiam hìc me moretur plus quàm angelicus, zelus ille tuus diuini cultus, Præses amplissime, & implacabilis ira tua, indignatioque, qua summa dexteritate in eos exardescis, qui diabolica arrogantia, diuinæ maiestati, & uoluntati se opponunt; sanè tui Christiani pudoris, qui his audiendis minimè delectaris, deinde magnitudinis etiam rei, quam sit impossibile calamo assequi; demum loci, & temporis, quæ omnino ab instituto hoc sunt aliena; horum, inquam, omnium habenda fuit nobis ratio, & leuiori (ut uulgò dicimus) pede, in re omnium gratissima transeundum. Postquam ergo mansisti inuitus satis ad sarcinas, ne furto, aut sacrilegio potius, impurus quis quidquã auferat; tibi sanè debetur, cum fratribus tuis cum hoste gloriosissimè pro domini testamento congregientibus, iure belli æqua portio. Quare nos omnes precibus publicis, ac priuatis (ut solet amplitudo tua illustrissima) iuua. Redeo ad munusculum nostrum: quod cum adeò sit minutulum, penè inscio mihi manibus exciderat. accipe ò religionis nostræ amator unice, amplissime domine, qui me pro humanitate tua plurimi facis, hoc clientis tui humillimum obsequium. Multa (probè noui) cogetur prudentia tua desiderare in oratione hac; quoniam & dies, quo habita est, (est enim longè celeberrimus) & œcumenica ipsa circumsedentium patrum corona, uel summis Angelis spectabilis, denique calamitosus, ac suspiriis, & lacrymis prosequendus ecclesiæ status, locupletiolem multò cuiuis possent polliceri. at præter quàm quòd ingenij nostri perexigua est uis, ad inueniendum, & ad efferendum inquisita parum ualemus: præter id sanè, tempus uix orationi dabatur, ut quibus neque ad horam erat dicendum. fiebat inde, ut uel Romanus Cicero eloquentiæ suæ uires, dicturus quamuis de re omnium maxima, comprimeret. At planè intelligimus, munusculum hoc qualecūq; sit, quando ex Franciscana proficiscitur officina, te grato animo accepturum. Vale per longum æuum Ecclesiæ tantæ, Præfeste optime, istius senatus uerè regij decus, atque ornamentum, instituti nostri amantissime domine, Francisci uerò tui propugnator, atque patrone, & nos, ut facis, ama. Triden. Kal. Dec. MDLXII.

Oratio

ORATIO HABITA AD<sup>3</sup>

Oecumenicam Synodum Tridentinam, à Reuerend. P. Fratrem Francisco Orantio

Hispano, Minoritanæ familiæ,

sacrae Theologiæ lectore

Valisoletano,

In eodem Concilio apud patres substituto Vis

cario, pro Reuerend. D. D. Christophoro

Valtodano Palentinae Ecclesiae praefecto,

ac sanctae generalis Inquisitionis in

tota Hispania censore,

die celeberrimo Sanctorum omnium,

anno 1562.

Sacerdotes tui domine, induantur iustitiam,  
& sancti tui exultent. Psal. 131.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.  
Matth. cap. 5.



Fateor equidem, illustriss. Cardinales, qui Domini nostri Pij Quarti, patris omnium, locum tenetis, & personam sustinetis; oratores maximi, uos, qui imperij maiestatem, celsitudinemque regiam nobis praesentia refertis, generis splendore, ac rebus per uos bene gestis & ipsi clarissimi; antistites litteratissimi, qui ad Orbis totius Christiani clauum, & gubernacula lectissimi sedetis; magistri doctissimi, fateor ad dicendum de caelesti hac, & pene diuina iustitia diem hunc Deo, iustisque omnibus sa-

crum, satis nobis contigisse opportunum. Mirè sanè oraculum Dauidicum de sacerdotum iustitia, & sanctorum exultatione ad rectitudinem Euangelicis mentibus asseruatam quadrat, quandiu mortales uixerunt, & ad supremam illam suam felicitatem, quam ipsis incredibili lætitia, ingentiq̃ue animorum exultatione non Christianus Orbis tantum, sed & angelicæ mentes uoce dulcisona alternis dicentes, hodierno die iucundissimè gratulantur. hos cum audit Ecclesia mater cœlestes suos dedisse cantus, non potest (angustiis quamlibet undique pressa) non illis congaudere: immo uerò incredibili correpta gaudio, apostrophe pulchra usa, nunc nos filios suos, nunc ipsos alloquitur beatos. O filij, uita hæc nostra, quam à dulci patria exules nos uiuimus, uerè lacrymis, & suspiriis debetur tota. At postquam dies hic sanctorum clarus gloria, ipsis etiam supremis ordinibus festiuior habetur, tantã nos eorum lætitiã congratulatione nostra expectatissima illis sanè cumulemus. Quare ò iusti exultate in domino, quibus & fors cecidit in præclaris, & hæreditas præclara est uobis. Spesq̃ue eadem & nobis, qui miseræ nostræ peregrinationis pertæsi ingemiscimus, interim dū nostra iacitur nobis alea, multos facit animos: ut in istam dignitatem suspiremus, & festinemus in istam requiem ingredi. Conuenit etiam Dauidicus psalmus summè & cum esurie, & siti, iustitiæ euangelicæ. Noui siquidem testamenti mediator, quemadmodum uel Matthæo referente didicimus, cum uideret turbam in dies magis, ac magis increbrescere, montem subiit, non legem accepturus, sed cœlestes ipse magis explicaturus silenos, quos nunquam hominum oculus uiderat. Monte igitur conscenso, cœlestis philosophiæ doctorem agere cœpit: ipsa loci celsitudine declarans, se nihil plebeium traditurum, & humile, sed ardua, cœlestiaq̃ue omnia, & quæ attentum auditorem requirerent. Aderant proximi sancti Apostoli, in pulcherrimæ coronæ modum circumcingentes magistrum, paulò mox legati à latere creandi, & qui nouas has merces in Orbem uniuersum inueherent, & Euangelicæ doctrinæ non dū audita dogmata nobis depromerent, plurimum abhorrentia ab  
opinionē

Psal. 15.

ad Heb. 4.

Matth. 5.

opinionem eorum, qui mundo uidentur admodum sapere.  
 Aperuit os suum stultam faciens & inefficacem conuincens  
 mundi huius sapientiam, ut quæ uerum hoc beatitudinis  
 nostræ uel olfecisse non potuerit. Certè uel hic unus Mat-  
 thæi locus, ubi Christiana iustitia nobis explicatur, persua-  
 dere potest, multa cœlestem legislatorem nostrum Orbi  
 ostendisse, quæ omnino noua, & supra hominum opinio-  
 nem dicta esse uideantur. Initium à beatitudine orationi  
 suæ dedit: nouerat porrò ille qui finxit singillatim corda  
 nostra, & qui intelligit omnia opera nostra, nulla re homi-  
 num mentes præ beatitudine affici. Huc omnium uota  
 tendunt, huic nostræ omnia nuncupamus. In beatitudinē  
 demum nimia cupiditate propendemus. Beati (inquit)  
 pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt. O rem mi-  
 rā patres amplissimi, quī sibi ista cohærent? Quid illi bea-  
 tæ uitæ omnibus diuitiis absolutæ commune, & miseræ, ac  
 paupertati? Quid illi exultationi, quæ sic beatorū animos  
 felicissimè complebit, & oculorum lacrymis? Quid illi  
 perfectæ felicitati, & luctui? Quid habet commune san-  
 ctorum illa satietas, apparente Dei gloria, cum esurie, &  
 siti? Demū nihil minus uidebitur beatitudo, si superficiem  
 attendas, quàm quæ à Christo hīc describitur; nisi quòd  
 studuit mirabilis hic in legislatoribus, fidei nostræ auctor  
 & cōsummator, omnes naturæ nostræ cupiditates, inania,  
 uanaque hominum commenta, hac sua oratione euertere;  
 dum docet his, quæ mundus uel nominare horret merce-  
 dis subesse plurimum, nimiumque pretij in eis delitescere:  
 ut quæ in sanctorum exultationem, iustorum operibus ex  
 fide, & gratia procedentibus, æterno Dei fœdere debitam,  
 certissimæ uia sint. Est porrò hæc ipsa loquendi phras  
 Dei filio non semel, aut iterum, sed sæpe familiaris. hæc  
 (inquit alibi patrem alloquens) est uita aterna, ut cogno-  
 scant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Chri-  
 stum filium tuum. quæ sanè uerba non modò claræ illi ui-  
 sioni, quæ sanctos Dei manet, quando uidebunt eum sicu-  
 ti est, congruè quis accōmodauerit; uerum, si ad fidei co-  
 gnitionem Euangelica prædicatione expressam de Deo &  
 Christo eius referre uelit, ut quòd hæc in illam certa sit uia,

1. ad Co-  
rin. 1.

Psal. 32.

Psal. 16.

Ioan. 17.

1. Ioan. 3.

2. ad Co-  
rin. 3.

Paulum sanctissimum uidebitur imitatus, qui ait; Nos uerò omnes reuelata facie, gloriam domini specularantes, in eadem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquã à Domini spiritu. Sunt igitur beatitudines Euangelicæ istæ, non quòd hic status, absit, sed quibus finis acquiritur. Paulus etiam uniuerso Christiano negotio in

2. ad Co-  
rin. 4.

spem concluso, sanctorum pressuras, quas Euangelicus sermo felicissimo nomine hic donat, non immortales spes, non perpetuas afflictiones, non sine fine mala uel suspicari nos finit: sed contrà, leues, & momentaneas, & quæ secundum excellentiam æternam, gloriæ pondus operantur in nobis. Ut uel hac ratione beatitudo sit ea, quæ uel uno momento suprema felicitate complebitur. Quod enim parum distat, pro minimo reputatur. Nouæ igitur & cælestis structuræ diuinus hic architectus, qui pro Ecclesiæ suæ construenda fabrica, noctem tanquam diem transigebat, sublimes ædificationi, quæ cœlos pertingeret, humilitatem, modestiam, animi prostrationem, & spiritus paupertatem, conuenientissimum fundamentum iecit. Primus ille terræ filius Adam, cum Dei beneficentia summis ornamentis esset insignitus, cum in summum honoris fastigium euectus esset, denique cum diuitiis diuinæ gratiæ afflueret, manere poterat in suo gradu; si quidem hominem altius quàm licebat, & quàm fas erat, non extulisset ambitio.

2. ad Ti-  
mot. 3.

At Sathana illecebris captus, contempta ueritate, miser ad mendacium deflexit. Et qui spiritu pauper esse noluit, ob superbiam, quam omnium malorum initium uocat Augustinus, ab eximia gloria, in extremam ignominiam deturbatus est. Paulus etiam sanctissimus, cum malorum chiliadem enumerare uellet, amorem sui atque elationem, uitia cum spiritus paupertate, ex diametro bellantia, ante omnia præmisit. Hinc inanis illa hæreticorum hominum orta est gloriæ cupiditas. Hinc ipsorum temeritas, eo iniquitatis progressa, ut non regiæ uia & antiquæ pertasi tantum, quærant deuia; uerum etiam ore plusquam sacrilego cœlum attingentes, ipsas scripturas sacras, si semel intellexerint, ob clarissimum ipsarum testimonium nullam pati adulterinam expositionem, mox peruertunt, deturpant.

5  
turpant, luxant, radunt, & infruſtra immaniſſimè ſecant.  
Et ( ut ſemel omnia dicam ) ſpiritus elatio, auctore Au-  
guſtino, non niſi Dei contemptu terminatur. Totius ergo  
boni initium ( ſanctiſſimi Domini ) humilitas eſt, & to-  
tius mali, ſuperbia. Denique & perditionis initium à ſu-  
perbia exit per diabolum: at ſalutis initium ab humilitate  
per Chriſtum. Propterea conuenienter & omnium beati-  
tudinum humilitatem conſtituit principium. quo loco di-  
ligenti conſideratione obſeruemus non dictum, Beati hu-  
miles ſpiritu, ſed, pauperes egeni, & mendici: ut ſem-  
per Dei adiutorium mendicent. Vnde in Græco, Beati  
egeni, uel beati mendici. nam pauper quidem eſt, qui an-  
guſtiam habet, non autem tantam, ut mendicare cogatur.  
At uerò hîc, beati inquit mendici ſpiritu, ut in mul-  
ta neceſſitate humiles oſtendat. Si ergo dixiſſet, beati hu-  
miles ſpiritu, nihil amplius ſignificaiſſet, quàm humiles:  
nunc autem & pauperes, & ſecundum ſpiritum paupe-  
res, intelligentes per fidem, unde ſit, ac dimanet adiu-  
torium hominis. Vides ergo, non quamcunq; humilita-  
tem, Euangelicam beatitudinem eſſe, ſed eam, quæ ex hu-  
militate naſcitur, ſpiritus paupertatem, & indigentiam.  
Qui enim iuxta Euangelij fidem humiles ſunt ſpiritu,  
pauperes, & mendici, non ex natura, ſed ex fide pau-  
peres, dum nimis timent de ſe, adiutorium Dei pulſare  
non ceſſant.

Chryſoſt.  
per Matt.  
cap. 5.

*Beati qui lugent.* hæc ueſtra beatitudo eſt paſtores obſer-  
uandiſſimi, qui doctores eſtis, qui & ſupra montem eſtis.  
qui enim ſua peccata lugent, beati illi ſanè, ſed medio-  
res beati: beatiore uerò qui aliena lugent peccata: tales  
uos eſſe conuenit. Nam cum ſitis omnes populi Chriſtiani  
patres, quomodo lugere non poteritis: cum quotidie,  
Chriſtianorum animas uſq; ad infernum cadentes, è ueſtris  
manibus elapſas uideatis? Angelis porrò, quibus ut ſi-  
gnent Dei ſeruos demandatur cura, dictum legimus, Ite  
per Hieruſalem, & ſignate omnes qui lugent ſuper iniqui-  
tates, quæ ſunt in medio Hieruſalem. Ea ſanè uera eſt  
Eccleſia Chriſti, cuius fundamèta ſunt in môtibus ſanctis.

Ezech.

1. ad Ti-  
mo. 3.

*Beati mites.* & manſueti, aduerſum quos neque præualere

Pſal. 86.

B

potest peccatum, neque aduersum alterum aliquando ex illis peccandi occasio nascetur: sed studet magis iniuriam pati quam facere. *Beati qui esuriunt, & sitiunt, iustitiam.* qui nihil aliud querunt, quam ut a culpa purgati, tam ipsi, quam alij crescant in gratia: & plus patrie quotidie appropinquent per desideria feruida: desiderantes secundum Dei iustitiam conuersari. *Beati misericordes.* qui non pauperi aut pupillo miserentur tantum, uerum inimico proprio, benefacientes ei. hic enim beatus fiducialiter adiciet, dimitte mihi debita mea domine, sicut & ego dimitto debitoribus meis. *Beati mundo corde.* qui non solum non faciunt malum, nec cogitant; sed adhuc etiam qui omne bonum & faciunt semper & cogitant. *Beati pacifici.* Pax est unigenitus Deus, de quo dicit Apostolus, Ipse enim est pax nostra, qui ergo pacem diligunt, filij sunt pacis. In hanc beatitudinem hortatur nos Propheta Regius, inquit, Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: inquire pacem, & persequere eam. Demum octaua Euangelica beatitudo, uere circumcisionis martyrio (ut eleganter exprimit Hieronymus) terminatur. *Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* *Beati uos cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos: mentientes propter me.* Gaudete, & exultate quoniam merces uestra multa est in caelis. Cui non hic libebit cum gentium magistro Paulo exclamare opportunè? Vbi sapientes gentium Philosophi, apud quos summa erat sapientiae auctoritas? Vbi scriba Iudaeorum doctor, & (ut egregie interpretatur Cyrillus) grammatistes, grammaticae professor, Poetarum praetor & interpres? Vbi saeculi huius inquisitor, altercansque disputator, qui suis rationibus, & argutiis se omnia affecuturum credit, uniuersaque opinionibus quibusdam permittit, & profundissima quaque naturalibus inuestigationibus metitur? Vbi Plato alioqui doctissimus? Vbi Aristoteles sui saeculi & anima & Princeps? quotus quisque nobis beatitudinem annuntiauit? quotusquisque erroribus miseros nos complicatos, in lucem potuit asserere, caelesti libertate donare, docere ueritatem, uanas soluere praestigias,

Matth. 6.

ad Ephe-

si. 2.

Psal. 33.

Hierony.

in Matth.

cap. 5.

1. ad Co-

rin. 1.

Cyrill. in

Paulum.

præstigias, quibus illusi tenemur? quotusquisque oculorum lacrymas, paupertatem spiritus, & id genus cætera, æternis delitiis, summaque & infinita tranquillitate consolatus est aliquando? Agnoscat igitur, agnoscat cæca hominum libido, neque opibus, neque luxu, neque uoluptate, sed magis his omnino contrariis, siti, esurie, suspiriis & lacrymis, in cœleste illud capitolium, beatissimumque senatorum conuentum, ubi sit futura sanctis æterna quies, ac gloria cum Deo perennis, tanto facilius ferri nos, quanto prioris generis rebus magis opprimimur. Dei nihilominus donum agnoscamus, qui & magnificè se nobis apparere fecit, & qua iremus ad ipsum, per Prophetas olim, nouissimè per filium, qui inde uenerat, quotidie præmonstrat. Ecce mundi excrementum, & impiorum reiectamentum, abiecti & despicabiles homines, iure hæreditario capient regnum, longè magnificentius omni regno mundi. Ipsorum (inquit) est regnum cœlorum, ipsi possidebunt terram, consolabuntur, filij Dei uocabuntur, misericordiam consequentur, Deum uidebunt; denique mercedem habebunt repositam in cœlis. O' uerè beatos & reges, quorum & nunc etiam magnificum regnum est nulli seruire uitio, nullis obnoxium esse cupiditatibus, sathanicas copias conculcare, mundum uicisse cum illis omnibus, quæ nos terrent uel illectant. O' uerè beatos, qui uisuros se Domini bona in terra uiuentium credunt, & sperant, & quorum lacrymæ diuinis abstergentur manibus, nimia post lacrymationem & fletum, exultatione perfundendos, quos & implebit altissimus lætitia cum uultu suo. Quid iam miramur, sanctos Dei homines curis uacuos, atque liberos, fretos Deo, fretos innocentia sua, fretos præmiis futuri sæculi, tranquillo pectore contemnere ea, quæ nos maximè & suspicimus & amamus? Non'ne regnum sperant obtinere longè pulchrius, ac longè isto magnificentius? Verbum hoc Christi, (sanctissimi Domini) *Merces uestra multa est in cœlis.* quantos animos (immortalem Deum) Euangelicis mentibus fecit? Verùm quoniam si de his per singula dicere uellem, longum esset mihi ad omnia futurum iter, nimiumque oratio nostra erraret, uenio iam ad

eam partem Dauidici psalmi, & Euangelij, quæ de iustitia esurienda, & sitienda sacerdotibus sanctis est. Ad quam ut diligenter attendatis, etiam atque etiam à uobis Illustrissimi, & Reuerendissimi domini contendimus. est porrò ea res huic loco, & his temporibus magnopere accommodata. Et ò utinam pro iustitia dicturo mihi coram amplissima œcumenica Patrum corona, diuinus ille spiritus absideat, quem scimus è Citharædo puero psalmodographum, quo nemo dixit diuinus, repente inspirasse; è simplici & rudi pastore, qui nihil præter sycomoros uelle didicisset, prophetam egregium creauisse; ex tenero uix puero, accerrimum senum censorem, admirandaque præditum prudentia iudicem constituisse; ex egeno, & paupere piscatore, Ecclesiæ suæ pastorem, & qui nunquam deficeret magistrum præfecisse; è rapace lupo manè rapiente escas immanissimè, ad uesperum Agnum pacatissimum (quod & nos omnes miramur) magnificè diuidentem spolia, & qui spiritus huius diuini primitias haberet, insperatò erexisse. Et ne infinita persequare, publicanum, qui nihil minus quàm literas didicisset, uel hoc super cælesti spiritu auctore, euangelistæ gloriam assequutum. Tantus ergo ac talis spiritus nostris cœptis aspiret, ut iustitiam, quæ terris penè relictis (semper reliquias cum Paulo excipio, quæ secundum electionem gratiæ, salutæ factæ in Christi Ecclesia nunquam deerunt) cœlum unde fuisset semel exorta, regnatum perenniter cum sanctis, uideri posset conscendisse, eam uos, Patres sanctissimi, uestra diligentia atque studio rursus inde, ad nos homines reuocetis. Mira res est iustitia, quam non qui possidet tantum, sed qui esurit, fœlix uel Dei testimonio habetur, nã supra hominum æstimationem est; qua non qui fruitur solum, post puluerem & sanguinem, sed qui eam adhuc sitit beatus. Est ea multiplex, sublimis, una, innata, undique perfecta, absoluta numeris infinitis, ut quæ diuina. hanc esurire, aut sitire præter eum, qui ipsam induit ab æterno, cunctis religio, sed tantam mirari, adorare, uenerariq; datur. Est huic proxima altera non innata, aut sublimis quemadmodum prima illa, pura tamen & perfecta sanctorum, qui

Deo

2. Reg. 11.  
Amos. 1.  
Dan. 13.  
Ioan. 21.  
Act. 9.  
Matth. 8.

ad Ro. 11.

Matth. 5.

Deo fruuntur rectitudo, nunquamque intermoritura iustitia; quam esurimus, & sitimus dum dissolui, & esse cum Christo cupimus. Est tandem tertia non pura, nec perfecta, uera tamen & recta iustitia, quæ nostra est, hæc Theologicas amplexa uirtutes fidem, spem, & charitatem, uires animi uniuersas Deo diuinisque mandatis hære facit: quas naturæ diuinæ participes, ac Deiformes reddit.

Quæ omnia & si uera sunt, una tamen iustitia est. quam esurire & sitire induendam sacerdotibus his, qui primates habentur Ecclesiæ, longè beatissimum gloriosissimumque fuerit. Est ea eiusdem Ecclesiæ Pax, Religio, Iustitia, Sanctitudo, quæ Dei domum decet maximè. In ea enim consistit huius actionis, ac proinde huius negotij prora, pupisque, ut dicitur: & totius Christianæ Religionis, causæ status, & cardo uertitur. Et ut inamussim designatam intendamus, liber, Patres beatissimi, si per lacrymas licet, ad eam nos Ecclesiam conuertere, quam à Christo capite, & ab Apostolis omni iustitia & pulchritudine ornatam accepimus. Principiò, ipsa animorum & iudiciorum æqualitas, firmitate atque stabilitate sua uirtutem sequuta, huic ornatus, plurimum, & gratiæ conferebat: nihil eam deformabat: cuius singulæ partes sic in officio retinebantur, ut nihil de cœlesti forma deiicerent. Deinde, diuinis hæc erat munita legibus. quarum amore dum homines flagrant, magistratum pedibus, Apostolorum scilicet aduoluti, se suaque omnia ipsis asseruandis sacrant: firmissima fide statuentes apud se, futurum aliquando, ut redeat de cœlis index, qui suarum legum rationem exactissimam ducat. Cuius illi aduentum conscientia bona, fide integra, intentissimisque animis expectabant assiduè, dies, noctesque Dei sui sitientes iustitiam, maioribus obseruantiam, minoribus disciplinam, omnibus demum fraternam dilectionem præstabant. Denique domus tanta uel proletariis hominibus, & ex lapide (quemadmodum uulgo dici solet) emptis peruia pateret, portæ duæ pro sacerdotibus illæstæ stabant; uitæ scilicet sine labe transactæ puritas, & mysteriorum fidei nostræ cognitio certa, & clara, quæ sese in gregem dominicum diffunderet copiosissimè.

Philip. 1.

Psal. 92.

Act. 2.

Et ne nimius sim dum ex literis archanis minutissima  
quæque colligo, post principem Pastorum & coronam Ie-  
sum, uno aut item altero exemplo diuinæ scripturæ con-  
tentus, præteribo. Oportebat testem creari unum resurre-  
ctionis Christi, quemadmodum Petro sanctissimo sacer Dei  
spiritus suggessit; eliguntur duo, quos non uitæ sanctitas se-  
cernit, ut qui iusti ambo, non alterum notat scientia (cla-  
ruit siquidem cœlesti cognitione uterque) sorte diuina di-  
spares solū, digni ambo Episcopatu. Rursum, credentium  
numerus in dies horasque; augebatur magis, dux & Ecclesiæ  
Princeps Petrus cum undecim, Diaconos septem creat, sed  
quos? Audite. Considerate ex uobis uiri fratres (uox so-  
nuit Apostolorum) uiros boni testimonij septem: non li-  
bet, neque licet apicem unum præterire. Ecce portam  
unam, conscientiam bonam, plenos Spiritu sancto, & sa-  
pientia: en alteram, actum comodissimè sequitur: quos  
constituamus super hoc opus. Quid uos moror? Nullibi  
sanctissima Pauli anima morosior habebitur, quàm cum  
sacerdotem, & Episcopum suis dotibus ornat. Et ne uide-  
retur tātus Apostolus talem descripsisse Pastorem, qualem  
Christi Ecclesia tunc non haberet, neque spes erat ulla, ali-  
quando habituram; quemadmodum fecere plerique per-  
fecti oratoris ideam finientes solū; morti propè uicinus,  
se ipsum Asianis Episcopis exemplum omnino sequendum  
obiicit, atque ad imitandum proposuit. Vos scitis à pri-  
ma die, qua ingressus sum in Asiam (hanc uocem primam  
orationis Paulinæ in Episcoporum confesso nouit multo  
melius, plurima uestra lectio, Patres literatissimi) qua-  
liter uobiscum per omne tempus fuerim seruiens Deo in hu-  
militate, & lacrymis, & tribulationibus, quæ mihi acci-  
derūt ex insidiis Iudæorum. Et ecce ego alligatus quidem  
spiritu uado in Hierusalem: quæ mihi ibidem euentura  
sunt, ignorans: sed tantum Spiritus sanctus protestatur per  
omnes ciuitates dicens mihi; Quoniam tribulationes, &  
uincula me Hierosolymis manent: sed nihil horum uereor,  
neque facio animam meam pretiosiores quàm me: dum-  
modo consummen cursum meum, & ministerium uerbi,  
quod accepi à Domino Iesu testificari Euangelium Dei.  
Et

Et ecce omnes uos mihi testes estis, quoniam nullius uestrum, aurum, argentum, aut uestem concupiuerim, sed ad ea, quæ mihi opus erant, & iis, qui mecum sunt manus istæ ministrauerunt. Miramini satis uideo (sanctissimi Patres) ducis huius christiani exercitus, nobilissimi, plus quàm beatam animam, pectus omnino euangelicum, mentem uerè apostolicam, ab omnium cupiditate liberam prorsus: at consideratione pari precor obseruari quæ de doctrina, porta altera structuræ huius cœlestis, ibidem legimus. Ego scio (inquit) quòd post discessionem meam intrabant in uos lupi rapaces, non parcentes gregi, & ex uobis ipsis, consurgent uiri loquentes peruersa. Quare uigilate, memoria retinentes semper, quoniam per triennium die ac nocte, non cessauì, cum lacrymis monere quenquam uestrum. O' Pastorem eximium, quem non præsentium tantùm, sed & futurorum malorum in gregem dominicum cura premebat. O' uigilantem doctorem, quem neque dies, neque nox à doctrina repulit unquam. O' diuinum docendi genus, quod lacrymæ exornant, hos habebat Ecclesia sacerdotes suos ad bella doctissimos, quorum doctrina, non scientia inixa solùm, sed carnis mortificatione & cruce, mundum potuit Christo principi subiugare, quaqua patet. Quo loco obtestor uos, exercitus nostri nobilissimi duces, docete me, si quando in principum annalibus, aut in magnorum Regum historiis (quas & si suus cuique selectus congerat auctor, nihil me premit) legeritis unquam, quòd oues euicerint lupos? quòd hic, qui circumibant, in melotis, in pellibus caprinis afflicti, pan-

Hebr. 11.

nos, at Apostolica celsitudine maximi, hi inquam hi sic gentium castra euerterint, sic Philosophorum potentissimorum ora obturarint? Amens sim, si tu aliquando, uidisti pastorem alioqui prudētissimum, oues suas, quas unicè amet, in ipsam luporum carnificinam mediam coniecisse, ut ne fuga quidem salutem consequerentur. Dices, quis pastor hoc fecit? Respondeo, Christus sanè. Ecce

Matt. 10.

ego mitto uos (inquit) sicut oues in medio luporum. Quemadmodum & scriptum legimus. Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis: sed

ad Ro. 8.

Psal. 43.

in his omnibus superamus ( uictrix exultat Pauli anima )  
propter eum qui dilexit nos . omnes nos , ecce domine ,  
habiti sumus propter te , ueluti oues destinatae maetationi ,  
omnibus obiecti & expositi , sed tamen contra tot , tanta-  
que pericula , contra nouas hasce tragœdias hæc una suffi-  
ciens , immo uerò abundatior multo consolatio succurrit .  
neque enim propter homines , aut aliud fluxum quid-  
piam , id patimur : sed propter te uniuersarum rerum do-  
minum . Fateor enim minimè fieri posse , ut qui homines  
essent , ij infinitas mortes tolerarent . Verùm uide ne hac  
quidem ratione Apostolicis animis præmia esse immi-  
nuta . Mortificamur ( inquit ) tota die . nam ut natura for-  
titi id simus , semel tantum ut moriamur : tamen uolun-  
tate id quotidie perpeti , si id in animum induxerimus ,  
dedit Deus . Vnde liquet ut cum tot hinc discesserint co-  
ronis , quot dies uixerint . Immo uerò multo pluribus .  
Sanè post cœlum ipsum promissum , post regnum super-  
num , post archana bona , molles adhuc , & sègnes effici ui-  
ros Apostolicos , rem turpem arbitrabatur hic Paulus : fa-  
cta eleganti collatione ad patres , qui sub prioribus repro-  
misionibus uixere , terram laborum suorum præmium  
habentes . ij sanè usque adeò tum uitam præsentem , tum  
tentationes & pericula despexerunt : quemadmodum exin-  
troducito uerbo Prophetæ colligimus , ut nullam nos ue-  
niam simus habituri , qui sub melioribus promisionibus  
uiuimus , si ne ad parem quidem cum illis uirtutis mensu-  
ram accedamus . Vide etiam ut rursus sanctissimus hic  
Apostolus auditorem excitet , sublimemque ac animosum  
efficiat . Sed in his omnibus plusquàm superamus , per eum  
qui nos dilexit . Quod enim mirabile est , hoc est , quod  
non superamus solum , sed per ea ipsa superamus , per quæ  
insidias patimur : nec similiter superamus , sed plusquam  
superamus , hoc est , omni cum facilitate , citra sudores ,  
ac labores . Non enim molestias tolerantes , sed animi  
modò præparantes , sic ubique Trophæa contra hostes sta-  
tuimus . Et id iusta de causa . Deus est enim qui nobiscum  
decertat . Ne igitur diffidas . Si qui flagellamur , flagellan-  
tes superamus : si qui , exigimur , persequentes uincimus .  
Si qui

Si qui morimur, uiuentes in fugam uertimus. Sicque ut facile intelligant omnes, non esse insidiatoribus nostris bellum contra homines susceptum, sed contra inexpugnabilem illam potentiam, quæ uictoriam nostram, quin supra omnem modum eluceat, nullo inimicorum commento prohiberi finit. Inspiciamus Iudæos, si placet, qui cum Apostolos duces nostros in manu sua haberent, addubitantes tamen dicebant; Quid his faciemus hominibus? O stupendum miraculum Christi fortitudine dignum, carceribus detinentur, magnorum criminum rei aguntur, uinciuntur, & caduntur; & tamen qui detinebant, iudicabant, cadebant, mentis consiliique inopes hæsitabant adhuc, per hæc ipsa manus dantes, ac uictos sese agnoscentes, per quæ tamen uictorias se portaturos sperabant.

Act. 3.

Parum est quod dixi, neque tyrannus, neque carnifices, neque dæmonum phalanges, neque ipse diabolus mundi princeps superare illos ualebat: sed longè exuperabantur omnes, considerantes apertè, quas in eos artes intendebant, eas omnes illis iisdem auxilio cedere. Propterea dixit Paulus, Plusquàm superamus. Noua enim uictoriæ lex hæc erat, per ipsa eadem demum aduersantia superare, ac nunquam superari, sed illos ipsos ita ad certamina descendere, quasi exitus domini iam essent. Et id quidem *Propter eum, qui dilexit nos, & qui tantum nobis impendit.* quemadmodum legit sacer Ambrosius. Sanctus uerò Augustinus, Per eum, legit, ut sit sensus, in his malis omnibus superamus non nostra, sed Christi uirtute, qui dilexit nos. Enim uero, Patres sanctissimi, quantum antiqui illi primates nostri consolationis impressuris, & tribulationibus, carceribus, ac uinculis, quantum non spei solum, sed & uirtutis ac roboris inter medios ipsos cruciatus experirentur, uel una illa sanctissimi Pauli penè cœlestis gradatio, quæ in epistola ad Romanos habetur, nobis clarè ostendit: *Gloriamur, inquit, in spe gloriæ filiorum Dei. Mirè sanè nos consolatur spes illa æternæ hæreditatis, quæ Dei filii parata est; neque hac solum afficimur, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, ut quæ occasio sit patientiæ exercendæ,*

ad Ro. 5.

rursum patientia probationem ; reddit siquidem eum , qui affligitur probatum ; probatio ipsa spem (uolo dicere) spei uigorem operatur . Qui enim iam experientia didicit , quòd ob nulla aduersa dimoueri ualeat à studio uirtutis , uehementer erigitur in spem uitæ cœlestis . Tandem spes huiusmodi afflictionibus roborata , & uegetata , non confundit : quia Dei charitas , qua nos facit dilectores suos , cōmunicata nobis est , ac diffusa per sanctum Dei spiritum , ceu pignus hæreditatis , quatenus testaretur palàm , se bene cupere nobis , & præstiturum nobis quod promisit . O' uerè fœlicia tempora , O' ætatem plusquam aureã , quando è cauernis terræ , in quibus uix tuti manebant , è solitudinibus , in quibus errabant , è speluncis , quibus pro domibus utebantur , sacerdotes suos magistros atque pastores , non lata minus quàm de cœlo Angelos accipiebat Ecclesia : quæ tot habuit , quot cœlum sydera . Horum uestigiis simplex credentium multitudo pressius hærens , suorum sacerdotum sanguine accensa , nil præter Christum ficiens , pro iustitia & religione , iugulum obtulisse mucroni , ingentem de Tyranno hoste triumphum arbitratur . Fiebat inde , quemadmodum doctissimi quique obseruarunt , ut Christi sponsa inter funestos fascis , incensos ignes , nudos gladios , enses exertos , fulgentes , oppressa , magis floreret , contempta cresceret , læsa uinceret , ac tum demum gloriosior appareret , dum uideretur superari . Omnia usque adeò recta ibant , ordineque suo , iuxta Apostolicum præceptum , cuncta currebant , ut difficile non fuerit neque operosum , sanctissimo Christi Martyri Dionysio uel abinuito extorquere Gentili aut Iudæo . Quoniam hæc nostra Hierarchia , quam ipse inter primas uagientis fascias , teneraq; incunabula attigit , ad cœlestis illius similitudinē , quæ corporis oculis minimè cerneretur in cœlis , uisibilis in terris ordinata est : quam uoluit conditor Deus cœlestem imitari : quẽadmodum & illa diuinã refert . Vultis finiam ? Hæc sanè est , quam totã miratur pulchram sponsus : cui dum epithalamium ludit dulcissimè , uix à laude se tēperat . O' quàm mihi pulchra uideris & formosa , amica mea . Ingeminat rursum : Quàm pulchra es . Oculi tui columbarum .

Cant. 4.

columbarum. ut nihil attingam eorum, quæ humanos oculos fugiunt. Pulchram refert, pulchram sponfam subinde replicat, vt duplicem huius pulchritudinem insinuet; Alteram, in qua nunc quidem cernitur Christi Ecclesia, spiritu pauper & humilis, corde mitis & munda; exilij sui ab sponso lacrymas comites habens: & cum hoc alienis miseris blandiens, diuinam legem esuriens semper & sitiens (quæ uera iustitia est) & mille propter eam incommodis laeſa: at Christo suo nimium honorata. Alteram habet pulchritudinem in spe præmiorum, quam facto assequetur: cum filiorum expleto numero, per conditorem suum in cœlestem speciem, & admirandam æternitatem subleuabitur. Patent illa, dum à domo & regno sponsi exulat. latent hæc, quoniam merces ipsius multa est in cœlis. O diuinæ philosophiæ literarium ludum, cœlestis Ethic. officinam mirabilem, palæstram ubi tot Martyres gloriosissimè decertarunt amplissimam, sponsi uiridarium, tot animis uirginea pudicitia uirentibus, & florentibus refertissimum: Denique lapidicinam, unde præscissi tot lapides, qui supernæ illius Hierusalem muros compleant augustissimam. Proh dolor quò abiit sancta nostra? quò pulchritudo antiqua nostra euauit subito? quò immaculata illa nostra (Vigilantissimi custodes) profuga concessit? Heu, iacent cuncta: nihil moderati & pensi in nobis. diuina mandata temerantur passim; sanctis obseruationibus uel à minimo quoque illuditur turpissimè. Vera falsis inordinate permixta; diuina & humana habentur promiscua. Denique, profunda caligine obteſta cuncta, conssepulta dormiunt. Heu quàm deflexum ab officij religione? quàm declinatum nobis omnibus à recto uitæ curriculo? Aureum illud altare, hostiis diuinis sacrum, supra quod faginatam ponimus uitulum igni assum; unum noui & æterni testamenti sacrificium, & Euangelicæ legis uictimam singularem; ecce omnibus peruium, quod & mille modis prophani isti uiolant, atque cōmaculant homines sine Deo, sine lege, & absque sacrificio. Quo loco, quod mihi penè memoria exciderat, non filebo. Mirus sanè inter Patres, multis istis retro sæculis de hoc diuino sacramento fuit consen-

31  
sus : neque inter eos uel minimum quidem opinionis fini-  
stræ emerfit, quod de Eucharistia aut senserint, aut pro-  
nunciarint : quos scimus ipsam sacratissimam liturgiam  
ad usque uitæ extremum, summo cultu celebrauisse : fue-  
rint illi Græci, siue Latini, at umbratiles delineatores, fi-  
ctoresque isti, nunquam non calumniantur impudenter,  
pseudographè colligentes semper. Quibus mos est, quem  
admodum Tertullianus diligentissimè obseruat, è sancto-  
rum hortis amœnissimis, & è sanctarum scripturarum pró-  
ptuario, uirgulta quædam decerpere : ut uel sic sacrosan-  
ctam eorum maiestatem quoquo pacto quasi arrodendo  
imminuant, atque euertant. Sed & antiquas illas cœlestis  
structuræ portas, uoracissima flamma, immanissimusque  
ignis assumpsit : cœperuntque Christi Sacerdotes, aliò san-  
ctum Dei intrare. à quo sanè tempore non recti gressus, sed  
regressus in Christi Ecclesia apparere uisi sunt : inde exorta  
hæreses, agrestesque enati mores, quos nuda ratio, non  
Euangelica lux tantum condemnet. Quòd si contingat  
eum, qui præest, corruptis esse moribus, quo pacto (doce-  
te me Patres beatissimi) miseris ouibus licebit esse bonis,  
& iustis? Quis fiet, rogo, sanet agrotum, fractum soli-  
det, firmet nutantem, plagam tumentem, oleo foueat  
ac tandem quod perierat, requirat is : qui nihil minus  
quàm quæ Christi sunt curat? Immo uerò, si coram tanto  
conspèctu uera tacuisse, eum qui pro iustitia dicit, imma-  
nissimum fuerit scelus, haud dubium, Sanctissimi Patres,  
ni tanto malo grassanti pessimè, quod & crescit in horas,  
uestra prudentia se opponat, rectè uiuendi rationem om-  
nem in contrarium cessuram, Patrum instituta omnia in-  
fundum itura : Christi iugum modis omnibus leue pressum  
premendum, sed & ipsum naturæ lumen nobis consigna-  
tum breui perditum iri. Horret siquidem animus tempo-  
rum nostrorum ruinas persequi. Multi, proh dolor, fluxe-  
re anni, quibus Romana sedes oppetitur, tentant uastare,  
rapere, trahere. Quòd si non eam, ut quæ supra firmam  
fit ædificata petram : at quot capta monasteria, quot uin-  
cti sacerdotes, quot Episcopi iis beluis fuere ludibrio, dum  
mendacio minimè cedunt? Quot subuersæ ecclesiæ ; & ad  
Christi

Ezec. 34.

Christi altare (pudet dicere, sed quid facias? sic fors nostra tulit, sic meritum est nostrum) ad Christi altare, quem locum fides est, sanctos Dei Angelos, latria pari uenerari; atque cœli aram: miserabile dictu (non paradoxa refero) uidistis Patres, uidistis (istos oculos testes appello) dirutis sacris, ecclesiastico fundo per uim oppresso, sacrificij uas sacrilegio ablatis, Christi cruce comminuta, sanctissimæ Dei Matris, Sanctorumque omnium imaginibus pessimè conspurcatis, & turpissimè fœdatis: ad ipsam etiam diuinam aram stabulatos equos. O tempora nostra, o mores? non parcitur cœlo, non aëri. Quid quod neque miserimæ ipsi terræ parcitur? in cuius uiscera itum est, confossaque dedit ipsa sanctorum ossa, quæ sibi pro arrabone asseruarat; cœlestis illius regenerationis & renouationis, quæ creatura omnis ingemiscēs (ut dicebat Pau.) expectat. Rom. 8.

Quid plura? Martyrum sunt erutæ reliquiæ; ut neque post mortem, iustis altera desit martyrij palma. Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Verum non ego historiam in præsentia dictare intendo, pro qua meritò explicanda & Thucydides, & Sallustius muti sint, sed quod initiò statui uestris subiicere oculis, quæ nos propter amissam sacerdotibus nostris iustitiam, & pessimè à nobis læsam sanctificationem nostram, undique malè habent, angustias. Vestra siquidem interest, sanctificationem desertam, prophanatum illud altare, portas, quæ exusta sunt; demum antiqua illa omnia, quæ suo tempore Ecclesiæ, ornatus & splendoris plurimum conferebant, hoc nostro sæculo amissa esurire, & sitire; è re uestra est, fugientem iustitiam nostram retinere, oppressam iuuare, propè iamiam labentem manu subleuare, & iacètem erigere. Sacerdotes ergo tui Domine induantur iustitiam, robur, & fortitudinem: quorum labia iubètur custodisse scientiam, & de quorum ore leges sanctissimas, quæ nos in officio contineant, quemadmodum tu ipse præcepisti, Ecce omnes Malac. 2.

nunc requirimus. dum autem hæc explicatius dicere laboro, & ad sanctissimæ Dei Matris Mariæ, sanctorumque omnium aram religiosissimam, supplex confugio, me spiritus deficit, permisu uestro (qua humanitate estis) paulu-

lum respirabo, mox uirium copiis quasi collectis, breui mihi uentis spero secundis, quæretur portus, in quem propè fatiscens se recipiat oratio.

Nemo ignorat longè diuersam uos hodierno die iniisse rationem, Patres sanctissimi, ab antiquis illis Patribus, qui uos præcesserunt: quòd illis quidem aduersum hæreses singulas, quas habuit sæculum omne proprias, pro tempore ac ætatibus certatum est legitimè. Nicæni siquidem concilij gladio periit Arrius; Sabellium, Constantinopolitana Synodus confudit; impietatem Nestorianam, Ephesinum Concilium deprehendit; Eutichetis blasphemiam cum suo Dioscoro Chalcedonense, anathemate percussit; Priscilianistæ (si bene memini) in Bracharensi succubere. Florentina synodus rebellem Græciam, positis utrinque armis, antiquæ Romæ gloriosissimè subegit. At diebus his, quibus ex tot malorum chiliadibus subleuandam se uobis credidit Ecclesia, uniuersæ, & quæ iam obdormiuissent conspultæ, eam agmine certo euiscerandam petunt. Ceciderat iam Arrius, abierat Manichæus, corruerat Iouinianus, dormierat Vigilantius, perierat Fœlix infelicissimus, Eutiches confusus decesserat: non sic crebrò audiebantur uoces illæ, quæ sponsam è dulci somno deturbarent. Exinanite exinanite usque ad fundamentum in ea. neque filij Mæmpheos & Taphneos adiciebant, matrem nostram, alioqui Virginem castam, usque ad uerticem constuprare. Summa Hierico muros solo æquatos, propè omnes, sanctissima hæc Christi sponsa, ingenti perfusa lætitiâ prospectabat: at sæculo isto ex omnium cineribus natus homo est (si culpa non est hominem dixisse eum, qui uel naturæ lumini renūciarit apertè) de filiis Belial unus, uertiginosum caput ad amussim designatam, nunquam intendens: cui in ista tam præclara studia incumbenti, id semper curæ fuit, Christi Ecclesiam ab occidente, ubi tunc pace florebat, (quemadmodum ab Oriente acceperat) ultra Sauromatas, & in longè remotissimas Orbis partes profugam, extorrem, domibusque eiectam suis, relegare. Quantum ille profecerit (quoniam malum crescit in horas) ut quæ nescimus loca, missa faciamus; Germaniam, Angliam

Psal. 136.

Hiere. 2.

Ios. 6.

Angliam, nobisque finitimas prouincias, testes profero. Aduersus spurium istum de castris Philistinorum, uigessimus ferme agitur annus, ex quo quidem tempore, Christi acies Tridenti ordinata, non sine magna gloria, & ingenti triumpho decertat. Verum (ut dicit quidam) ingenui animi est, cui multum debeas, uelle te eidem debere plurimum. Quare & si uniuersam fidei nostrae confessionem, sacramentorum maximè, patribus œcumenicæ synodi, post Deum absolutam, & puram feramus acceptam, præter id, mundari sancta nostra & reuocari, antiquis iustitiam restitui natalibus, Ecclesiæ pulchritudinem refarciri, in hæc omnia tam præclara summiq̃ue ponderis, Orbis tutus, qui Christo nomen dedit, diuinis aris religiosissimè incumbens, sua nuncupat uota: & egregiè illi sanè. Nam quid cedò æquè pulchrum, quàm si quod multorum peccatis amissimus, multorum nihilominus uitæ integritate restitatur? Vosq̃ue Patres uigilantissimi nos omnes in officio continebitis, nosq̃ue non cum mediocri usura, & amissa habebimus, & parta tuebimur. Hæc uobis relicta uia est; & (ut ego conicio) sola reuocandi iterato eos, qui à uobis ad Lutheri castra transfugæ desciuere: ut (si quemadmodum sanctiss. Petrus nos monet) conuersationem nostram, quæ nimium ab antiqua illa degenerauit, in medio generationis huius prauæ & peruersæ habeamus bonam: ut in quo nobis, tanquam de malefactoribus, oblatrant, ex bonis operibus nos considerantes, glorificent communem Deum nobiscum. Nemo sibi fidat. Omnis principatus uita breuis: peccatorum uerò maximè constrictissimus & angustissimus. Meminerint duces nostri, uel cum sanctiss. sene Hieronymo, quo pacto (libet dicere) à Christo passo, nunc uerò potissimum, Romana fides quatitur, quæ stetit semper stabitq̃ue perpetuò: & tamen ceruix nostra erecta non flectitur. Olim offensum sentimus, neque placamus Deum. Vultis audire? nostris peccatis hæretici fortes sunt. O nos infelices & miseros, qui tantum displicemus Deo, ut per istorum immoderatam rabiem, illius in nos ira defauiat. Haud dubium, sanctissimi Christianæ uitæ instauratores, morbi causis amputatis, morbus ipse

1. Pet. 3.

cederet ablati . statim cernamus quemadmodum elegā-  
 tissimè de more S . Hieronymus de apparatu & exercitū  
 Romano lucutus ait , Sagittas pilis , tyaras galeis , cabal-  
 Exo. 31. los equis cedere . Potuit Moyles pro cadente populo ere-  
 ctus , diuini furoris impetum , mortis suæ oblatione extin-  
 guere ; at hoc , postquam Israëliticæ gentis inclyti ducis im-  
 perio , multo populi sanguine fuso , diuina offensa expiari  
 Num. 16. cœpit . Potuit Aaron diuinæ animaduersionis flammam in-  
 censi fumo temperare ; sed postquam inter uiuentes & mor-  
 tuos medius thuribulum uersat . Potuit & sanctiss. David ,  
 2.Reg. 24 & ante præfinitum tempus cœlestis placationis gratiam in-  
 uenisse ; sed hoc , postquam multam illam cædem , lateque  
 patentem stragem , ex suo ipsius peccato profectam inge-  
 muit & doluit : sed & acerbè , & durè sauienti angelo , se-  
 3.Reg. 17 ipsum trucidandum obtulit . Potuit Helias longo tempore  
 siccitatibus squalente terra , pluuias uel uerbo solo reuo-  
 4.Reg. 19 care . Potuit & Ezechias rex , una nocte & ab uno Ange-  
 lo , mirabile dictu , centum octoginta millia Assyriorum  
 prostrata uidere : uerum hoc , cum ipse prius stultas , &  
 importunas Sennacherib in Deum cœli , blasphemias , ca-  
 pite consperso cinere , perfusus lacrymis , conscisis ue-  
 stibus , nudis pedibus , meliori demum sua uita corre-  
 Num. 25. xit . Potuit Phinees indignationi Dei zelum suum op-  
 ponere , diuinumque ignem suo gladio compescere : sed  
 hoc , postquam luxuriantes cum alienigenis , in ipso coitu  
 trucidat . Denique nulli uincere difficile est , quem pœni-  
 tet sic uixisse : ut qui superari & uinci dignus haberetur .  
 Quod si tantopere , literatissimi domini , antiqua & ue-  
 tera illa nos delectant , ducis ego cuiusdā fortissimi , eiuf-  
 demque religiosissimi Israelitici populi , nulla obliuione  
 periturum factum , ob oculos in præsentia statuam . Iudas  
 1.Maca. 4 siquidem Machabæus , Gorgia , atq; Lysia , qui fuerant Dei  
 populo hostes acerrimi , gloriosissimè deuictis , cum popu-  
 lus , gensque uniuersa , pace aliquantula recrearetur , eos ,  
 quibus præerat , in hunc modū fertur allocutus , Ecce con-  
 triti sunt inimici nostri , ( corruerant sanè multi de exer-  
 citu Lysiæ , quemadmodum sacra Machab. historia refert )  
 quid ergo , ociandum ne nobis ? minimè gentium . Immo  
 uerò

uerò en se mihi offerunt uiri fratres, quæ canamus epinicia  
 Deo nostro pro uictoria parta. Quare, nec mora, ascenda-  
 mus, mundare & renouare sancta. Omnia illi feramus ac-  
 cepta, qui manus nostras docuit ad bellum, erexit ad præ-  
 lium digitos, & posuit æreum brachium nostrum. ascenda-  
 mus mundare & renouare sancta. continuo exercitus cun-  
 ctus præsto est, quem dux strenuus post sese humanissimè  
 rapit. O quàm pulchrum uidere quemadmodum præeun-  
 tis pastoris uestigis, ouile simplex hæret. Quid plura?  
 Dei montem ascendunt omnes. uiderunt sanctificationem  
 desertam, altare prophanatum, portas exustas, Deum im-  
 mortalem, cuius uel ferreum pectus mala hæc non emol-  
 lissent, atque comminuerent? neque hinc finis, uirgulta ui-  
 dent nata in atriis domus domini, haud secus quàm con-  
 sueuerint in montibus hominum gressibus minimè pressis  
 enasci. Insuper quò nihil templi illius inter gentes, ex-  
 terasque nationes nominis plurimi, inimicorum prophana  
 temeritas integrum reliquisset, Pastophoria dirupit. Ea sanè  
 loca erant, in quibus ex Dei mādato Leuitæ sacris ministra-  
 tui morabantur. Pius intuentium animus uix se continuit:  
 & quos non ab hoste sanguis effusus fortunæ melioris spem  
 abiicere, neque fractum, & si labore animum despōdere fecit:  
 pietas & religio in lacrymis dedere. gemitum extorsit, non  
 ulcerum dolor, non parentum uel propinquorum, quibus  
 cum uixissent charissimi, mors crudelis, uisaque ultrò citroque  
 cruenta spectacula multa: sed sanctificatio deserta, uiola-  
 tusque cultus maiestatis æternæ. Mēdax sim ego, beatiss. Pa-  
 tres, ni quæ uos saepe legistis ego narro. quæ pro pace indue-  
 rant uestimenta concidunt, caput redimitum nuper coronis,  
 ipsis positis, cinere conspergunt. Vix huiusmodi uoces  
 querulæ immista lacrymis excipiebantur. Quò nobis ad-  
 huc uiuere? quid nos patres nostri genuere, & matres no-  
 stræ lucis huius usura donarunt? Scilicet, uidere contritionem  
 populi nostri, & pariter templi. Quot iacere uidemus in mo-  
 dum hominis ignobilis absque nomine & sine honore, cuius  
 compositio ablata est? Quis ferat sanctam nostram pul-  
 chritudinem, claritatem nostram desolatam? Quò igitur  
 nobis uiuere adhuc? Dū ergo antiquæ matri parentalia  
 celebrant, iustaque de more soluunt, non illis pro rei digni-

rate, hominis lingua par est, neq; semiarticulata præ lacry-  
mis uox dolorē æquat. Quare itum est ad tubas: tubis si-  
gnorum in clamatū est miserimè, ut æther ipse gemitibus  
quateretur. Hucusq; lacrymas, hucusq; singultus. Iã audi  
ducis studium, iã accipe populi ardorem, iam uide unum-  
quēq; manum suam ad fortia immittentem, ut quod de re-  
ligione perierat, non sine mirabili & meliori ratione recrea-  
retur. Tūc ordinauit Iudas uiros ut pugnaret aduersus eos,  
qui erant in arce donec mūdarent sancta; elegit sacerdotes  
sine macula, uoluntatem habentes in lege Dei, & mundaue-  
runt, & eiecerunt lapides immundos. Hic iã ego, ò ecclesiæ  
Christi principes, libeat audire quæ dicere uix fert animus  
doloris impatiens. Quod si domus una, quæ lapide, luto,  
lignoq; constabat, uix suos capiens, cui in summa mate-  
riam terra, formam uerò homo præstabat: hæc inquam,  
incommodis, ærumnisq; calamitosa suis, sic Hebræorum  
animos perculsit, Quid cedò futurum arbitramini, uerè  
pio, sincereq; Christiano pectori, dum stragem paten-  
tem latè, ueri illius tabernaculi, quod fixit Deus, & non  
homo ad iustam libram æquis (ut dicitur) ponderibus  
pensat? Hæc Christi innocentissima sponsa pressuris atque  
flagellis uel ab ingratisimo partu immanissimè cæsa, &  
euiscerata, uerum illud sui sponsi corpus quinque confos-  
sum uulneribus, uerberibusq; innumeris dilaceratum ap-  
primè refert nobis, & repræsentat. Flent & dolent qui  
sedent ad umbras, cum neque ipsas haberent rerum imagi-  
nes, sed ceremoniis, & uelaminibus (ut dicebat Paulus)  
morosi suis intra inuolucra quædam sese continebant: &  
custodibus Ecclesiæ Christi, post uelum scissum, post tot  
dona collata, post suæ fidei cōmissam Ecclesiam, quæ Dei  
sanguine stetit, nulli curæ erit: captiua uasa nostra ferat  
quiuis; fuerint illa aurea aut argentea? Vos domini castra  
ascendistis, mundaturi & renouaturi sancta: duces uestri,  
secundum Christum Apostoli (sic enim uocat eos non se-  
mel sanctus Dionysius inde Ecclesiastica hierarchia) scri-  
pturæ sanctæ pro uobis suos gladios uibrant; patrum com-  
mentarij sacri in hac uestra acie stant; canones & concilia  
à uobis dimicant ordinatissimè; traditiones apostolicæ  
decertant apertè, ecclesiæ non hæri aut nudius tertius na-

ta,

ra, sed quæ iam olim inualuit consuetudo, ingens pro ue-  
 ritate argumentum patrocinator mirè. Sed & à uobis,  
 pastores optimi, multos obsides habet christiana respubli-  
 ca, qui nos bene sperare satis iubent de uobis, quos ut &  
 incolumes conseruare, tueri, confirmare, ac recuperare  
 possitis, omni ratione erit uobis dimicandum; habet ho-  
 norem, quem illibatum ad ordinem istum semper detulit.  
 Habet spem, quam firmam de uestro integro iudicio sibi  
 custodit. habet existimationem multo sudore, labore, ui-  
 giliisq; collectam, ut si in hac iustitiæ causa, quæ christia-  
 ni totius populi sine dubio est, uestrum officium & dili-  
 gentiam probaueritis, hæc quæ dixi retinere per nos inco-  
 lumia, ac salua possitis. Si uerò tantulum offensum titu-  
 batumque sit; ut ea, quæ singulatim ac diu collecta sunt,  
 uno tempore uniuersa perdatis. hoc unum ad inuidiam ue-  
 stri ordinis, infamiamque nostram sedandam maximè per-  
 tinet. Quod & non humano consilio, sed propè diuini-  
 tus datum atque oblatum uobis summo reipublicæ christi-  
 anæ tempore uidetur. De quo negotio, si uos seuerè  
 religioseque iudicaueritis, auctoritas ea, quæ in uobis re-  
 manere debet, hærebit omnino; sin minus, reconciliare  
 existimationem iudiciorum uestrorum apud hæc Sathana  
 membra amissam prorsus, Christiani populi gratiam reti-  
 nere, quam apud eum semper habuistis, satisfacere exte-  
 ris nationibus, quo pacto possitis, non facillè occurrit exco-  
 gitare. Eximium est fateor uel ista parte uos Ecclesiæ spem  
 æquare tantum, ne dicam uincere: at ea res non parum  
 uos commonere debet, quòd quanuis quæ diximus omnia,  
 magni ponderis, grauiaque sint, tanta sibi fide ea de uo-  
 bis promittat Ecclesia; de quibus & nobis ipsis solemus  
 polliceri: quòd non uestram uoluntatem à Dei lege, inquã  
 firmam omnis desiderij anchoram sacerdotes suos habere  
 oportet, gloriæ cito morituræ studium dimouebit. probè  
 enim nostis quoniã omnis gloria (si illam, quæ Dei nostri  
 est nullo sæculo moriturã excipias) tanquam flos fœni æsti-  
 mabitur. Exaruit fœnum & flos eius decidit. Non rerum,  
 quæ transeunt cum suo sæculo, cupiditas uersabit animum.  
 Scitis nanq; quoniam filij diuitiarum dormierunt somnum  
 suum, & nihil post inuenerunt in manibus. A quibus iux-

Psal. 36.

Psal. 91.

Psal. 102.

Isa. 40.

ta Euangelicam historiam, nocte illa daemones & animam  
repetent. Nihil tandem, nihil (certi sumus) ab officio  
publico discedere faciet eos, quos scimus numeros omnes  
iustitiae continere. Num mortis metus terrebit eos, qui-  
bus pro Christo & regno eius, quae est Ecclesia, dedisse ani-  
mas in mortem, uicisse est? moriendum est enim nobis  
omnibus, futurumque ut dicamus patredini, quamlibet  
nunc eam exosam auersemur, tu mihi pater es, uosque o  
uermes soror & mater. Ecce enim, patientissimus Iob di-  
cebat, Breues anni nostri transeunt, & semitam per quam  
nunquam reuertemur, ambulamus mortales nos. Paucif-  
simi ergo dies, & sine honore transacti, quid facient ad il-  
lam aeternitatem, quae nos manet? Ostendam uero nunc  
quid sacerdotibus principibusque nostris, illustrissimis Ec-  
clesiae ducibus timendum sit magnopere: quod uos Patres  
sanctissimi nocturna uersate memoria, uersate diurna.

Iob 17.

1. Paralip-  
po. 21.

Congregarat profelytos omnes de terra Israel rex sanctif-  
simus Dauid, constituerat ex eis innumeros lapicidas & la-  
tomas, qui cadendis, ac poliendis lapidibus studerent,  
ferrum quoque ad clauos ianuarum, & ad commissuras, habe-  
bat plurimum, aëris innumerabile pondus: sed & ligna cedri-  
na aestimari non poterant, quae Sydonij & Tyrij deportaue-  
rant ad Dauid, ut Dei domus construeretur. talibus inten-  
tum, & qui plura designaret, diuinum intercipit oraculum.  
Multum sanguinem effudisti, o Rex Dauid (obicit illi uel  
Hiero. teste, pessime interfectum Uriam) plurima bella bel-  
lasti, non poteris aedificare domum nomini meo, tanto ef-  
fuso sanguine, coram me. Audi iam quem mihi aedifica-  
torem elegerim, nascetur tibi filius, qui uir quietissimus  
erit, cuius & solium firmabo ego in aeternum, & me patrem  
habebit, & item ego ipsum filium. hic aedificabit domum no-  
mine meo post te. O Patres & Pastores excellentissimi, cum  
sitis ipsi sapientes, libenter suffertis insipientes; suffertis si-  
quidem si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si-  
quis in faciem uos cadit. Ego uero supplex praecabor in-  
tentissima mente id expendere uos solum, ne post omnium  
hominum & Angelorum oculos in uos coniectos, tantum  
laudis e uestris manibus eximat altissimus, quam in mul-  
to gratiorem sibi futuram seruet generationem. Eo cer-  
te

ii. d

te

tē laboris christiana respublica deuenit iam, ad eam misē-  
 riā iam processimus Patres, ut non satis fuerit uobis prū-  
 denti a uestra, quæ plurima est, Ecclesiasticæ causæ fauisse,  
 nisi etiam opportunis lacrymis nouum per uos accendatur  
 quærendi diuini fauoris studium: in quo nos omnes ea bo-  
 na recuperemus, quibus profus scelerum nostrorum causa  
 destituti esse deprehendimur. Non enim legitimos iudices  
 suos solū, christianus Orbis uos appellat nunc; sed sum-  
 mum etiam suis fortunis omnibus præsidium in uestris piis  
 precibus, lacrymisque sacerdotum & suspiriis, constitutum  
 esse arbitrantur omnes. Est siquidem diuinæ prouidentia,  
 ac sapientia solenne (quemadmodū ab eruditissimo quo-  
 dam uiro uerè pio, sincereque christiano elegantissimè  
 obseruatum legimus) nonnunquam etiam, piorum bona  
 consilia impediri, cū cœperint, niti suis consiliis sine Dei  
 uerbo. Sic Adam & Eua cū nato Caim dicerent, possedi  
 hominem, per Deum frustrati sunt: Quia humana erat  
 cogitatio sine Deo. magnificam in spem erant adducti fore  
 semen illud mulieris promissum, sed fallebantur. Sic Isaac  
 fallitur in primogenito suo Esau: sic Iacob in Rachel &  
 ex ea natis filiis; sic Dauid sanctus haudquaquam efficere  
 potuit ut filij sui pacificè & obediēter uiuerent; sic Solo-  
 mon omnes edoctrurus sapientiam, in proprio filio suo Ro-  
 boam fallitur. Sic (inquit) Adhuc multi bona intentione  
 conati sunt restituere Ecclesiam lapsam, sed frustra. Cur  
 hoc, quærit; permittit Deus (respondet) ut nos ipsos  
 agnoscamus, nec fidamus nostræ sapientia solū, sed de ea,  
 ut propriis fudit consiliis desperantes, cōmittamus nos Deo,  
 ipsius auxilium inuocantes. Sed & illud mouere uos ma-  
 gnopere debet Patres, quòd semel læsa diuina iustitia, in  
 eum, qui lædoriā intulit, aut certè, in eum, qui cū  
 propulsare posset & deberet, non coercuit; aut Deum, aut  
 hominem uindicem habitura est. Solet etiam animus ipse  
 diuinus mitissimus sanè, in iram atque furorem accendi,  
 sape in flāmas, & in ignem irritari: solent & diuinæ ma-  
 nus, alioqui largissima, iudicium nulli non timendum ar-  
 ripere, & quod in tempus serum reiecerat supplicium,  
 celeriter maturare. ut quàm pulchrum sit Dei morientis  
 in cruce pro nobis, manus clauis fixas nunc tenere compre-

77  
henfas, quarum beneficio cuncta uobis aduersa silent, prospera omnia & amica uigent; tam horrendum fuerit, uel  
Hebr. 10. Paulo sanctissimo teste, in manus Dei uiuētis miserōs nos incidisse, quæ nullo prorsus negotio possint in nos cœlū & terram armare, & diuini furoris sui uirgam super populum sauisimè exercere. Sed ò infinitæ maiestatis, optime, & maxime Deus, è cuius aspectu, & fruitione, sanctorum gloria pendet, cuius incredibilis affectus, iam antè conditum mundum, in eos, qui tecum in aternitate essent, perenni beatitudine sanctos, mirificè ferebatur, respice precamur in eum, quem Unigenitum tuum carnem factū, tenera atque illibata uirgo dedit: non nos homines quamlibet sceleratos, quamlibet flagitiosos, quamlibet sceleribus obrutos; non nos iam despiciatui habere poteris, quādo frequēs Dei hominis occurret imago. frater etenim noster, & caro nostra est, ut condolare possit iis, qui peccant & errant. Quare noxas nostras, quarum apud te rei agimur, remitte illi, & condona; sacerdotesque tuos, pastores nostros, ò exultatio sanctorum, indue salutari; tuq; beatorum omniū princeps & gloria Iesu, iustorum antesignane cœlestis, noli sponsam postponere, qua tuis aduoluta pedibus, passis crinibus, quos tu aliquando magnificè cōmendasti, lacrymis perfusa, memineras precatur, quod cū natura Deus esses (quod & factis palam ostendisti, dum uel uerbo tuo, animas corporibus admirādo postliminio restitueres, rerū elementa uerteres, tempestates sedares, morbos quoslibet propulsares, dæmonibus imperares) tātus ac talis cū esses, summus ipse rerū omnium & auctor & moderātor sic te abiecisti, ut non inter homines inedia solum, siti, frigore, æstu, de fatigatione mirum in modum angereris, essesque iniuriis omnibus opportunus; uerū rex tu mentis angelicæ, serui, qui alligandas manus, terga cædenda ultrò præberet, & crucis insons non deuitaret suppliciū, induisti personam. Ad hæc omnia perferenda, uehemens ille amor, quo in eā flagrabas, te impulit. Immo uerò sanctissimi illi anni tui, quos à Virginali partu cū ea innocentissimè transegisti, & martyrio inmanissimo cōpleuisti, paucissimi tibi uidebantur, proposito gaudio, quod esses in eius amplexus dulcissimos, formosus

fus

sus præ filiis hominum, aliquando iturus. cumque omnem  
 haberes in cælo & in terra potestatem, stipulatione certa te  
 illi astrinxisti, neminem, te in cælestem illum senatum, su-  
 premumque; conuentum assumpturum, quem non hæc charis-  
 sima tibi sponsa genuisset, sinu fouisset, lacte enutriuisset,  
 legibus & moribus instituisset. Neque tibi libuit cælos, unde  
 eras illi ingentia dona effusus, conscendere, ni prius uerbo  
 tuo diuino, quo omnia portas, uirtute & ueritate tua id  
 illi ratum reliquisses, quod esses cum ea usque in sæculi con-  
 summationem mansurus. Per hæc ergo omnia illa te orat,  
 & obtestatur, ne inter tot mala, tot errorum caligines, de-  
 fissimasque; hæresum tenebras, post tot amissos filios, quorum  
 casum affectus maternus ferre nequit: dum cogitat cum filio  
 prodigo epulari, maiorēque, in modum aliquando lætari, orat  
 ne tu ei defuisse uelis. Vos beatissimæ mentes, quæ diuinis  
 insertæ Principatibus, chorisque; iunctæ cælestibus, splendo-  
 rem eisdem confertis amplissimum: quibus eadem pientis-  
 sima mater dedit hinc grauida ubera sugerere, brachia oc-  
 cupare, humeris colloque; pendere permisit: uos compellat,  
 hæc accepta referri sibi, beneficium beneficio repēdi. Hæc  
 enim, per patientiam currere ad propositum uobis certamē,  
 sæpe hortata est. Eadem, ne cui uestrum, tyrannidi cadere  
 cōtigisset; futura uestro martyrio scelix, aspicere in aucto-  
 rem & consummatorem fidei uestræ, subinde uos mone-  
 bat. Hæc ipsa, postquam uos filios suos cælesti illi ciuitati  
 domesticos dedit, è uestris corporibus, quas habere potest  
 reliquias, sanctissimè honorat, basilicas uestris nominibus  
 (quæ charissima habet) appellatas, uelut loca sancta di-  
 uino cultui mancipata, affectu piissimo, & deuotione fide-  
 lissima adit. Vos denique; honorat, colit, defensoresque; suos,  
 & patronos, assiduis precibus sollicitat. Occurrite itaque  
 uos domino exercituum, ne quæ supersunt sacra, in Chri-  
 sti ecclesia, communi nostrâ parente, prosterni, & mise-  
 rē deuastari patiat.

Matt. 23.


Neque uos domicilia, quæ uestro sanguine sacraſtis, do-  
 ctina illustrastis, orationibus muniuistis, tandem uita in-  
 nocentissima uestra in meliorem spem erexistis, à spiritu er-  
 roris detineri, scædarique feratis: ne ille inde tot hominum  
 millia in Tartarum abripiat; unde multos habet cælum do-


81  
mesicos ciues. Ne sit terra uestra maledicto proxima,  
quæ tot filios benedictionis protulit. Sed & uos Christi  
sacerdotes, Ecclesiæ patres & sponsi (ad quos filij Ecclesiæ  
undique collecti nunc populati & innumeris uexati malis  
1. Mac. 2. publicè conflant) cogitate per generationes singulas,  
quoniam qui iustitiam induunt, non infirmantur. Ioseph  
dum eam custodit, inter terribilissimos carceres, angustosque  
compedes, creatus est terræ princeps. Phinees cum hanc  
zelat, accepit testamentum sacerdotij æterni. huius iustitiæ  
dum amore incenditur Elias, raptus est in cælum. Qui iu-  
stitiã sitit saturabitur: qui propter eam aduersa sustinet,  
copiosam in cælis habet & multam repositam mercedem.  
Vos populi prophetæ, principes nostri, & duces, Dei seque-  
stri & arbitri, diuini uerbi uasâ & receptacula prima, præ-  
dicatores, & cognitores scripturarum, Dei uoces, testes  
uoluntatis diuinæ, uos habet, sanctissimi domini Christi  
spõsa ueros, ac legitimos pastores: uos sacratori ordina-  
tione supra reliquos sacerdotes iam à primis ipsis Apосто-  
lorum temporibus, Deo sacrati estis. Quorum imaginem,  
si Dei sacerdotes expressam reddiderint, sicut & Apосто-  
lorum ipsorum sustinent personam, mox conuentus ille feli-  
cissimus, supremique capitolij senatores, quemadmodum  
& solent super uno peccatore poenitentiam agente gaude-  
re; sic super uniuersa Christi Ecclesia; diem festum illi  
agent in condensis suis, postquam uiderint sceptrum tene-  
re in ea iustitiam, diuinas regnare leges, antiqua dogma-  
ta uigere, Christianis moribus suum locum assignari: ni-  
miumque exultabunt. Ut uerum sit omnino quod in psal-  
mo legimus, Sacerdotes tui domine induantur iustitiam, &  
sancti tui exultent. Tantum exultationis & lætitiæ accre-  
scat iis, quantum illis sanctificationis & iustitiæ. Sed &  
uos sacerdotes sanctissimi, uestræ peregrinationis à Chri-  
sto exilio consummato, iustitiam induti, beati & sancti  
exultabitis mercede magna nimis, accipientes gloriam  
ingentem, & nomen æternum. Dixi.


VENETIIS, ex officina Iordani Zileti, ad signum Stellæ.

M D L X I I I.











Orat  
+ d

38